

quisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere possit, sed ea omnia statim superiori tradantur, et conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit.»

(91. Nec regulares in particulari possunt habere, seu de se retinere legata, præsertim si sint in bonis stabilibus, neque de licentia quorumcunque suorum superiorum. Cit. decr. Clem. VIII. § 4, ibi: « Neque superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto licet eisdem fratribus, aut eorum alicui bona stabilia etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere.»

(92. Imo talis licentia, etiamsi esset obtentata ab eorum generalibus, qui dicerent eam posse concedere, non excusaret fratres a culpa et pœna a Trid. concil. imposita, textu expresso in cit. Decret. Clem. VIII, § 7, ibi: « Nulla quorumcunque superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia vel mobilia, fratres excusare possit, quominus culpæ et pœnæ ab eisdem concilii decretis impositæ, et ipso facto incurrendæ, obnoxii sint, etiamsi superiores asseverent huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse; quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus.» Et sic sæpe sæpius respondit sac. congr. Conc.

(93. Hinc diligenter advertendum est ad id, quod ex declaratione ejusdem sac. congreg. refert Fagnan. in cap. *Monachi* 2, De statu monachor., n. 62, ibi: « Præterea in causa Neapolitana propositum fuit sac. congregationi dubium ut infra conceptum. In aliquibus monasteriis nonnullæ moniales census, et annuos quosdam redditus, et proventus seu fructus percipiunt sub diversis contractuum speciebus: nam aliquæ in ipsarum persona emerunt certos redditus a personis laicis, aliquæ ab aliis monialibus, aliquæ ab ipsis monasteriis: aliæ vero dederunt pecuniam monasterio, ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine monasterii ad rationem septem vel octo pro centenario, et abbatissæ dabant ipsis monialibus illos redditus quos ex dictis emptionibus exigebant singulis annis. Aliquæ monasteriis, seu eorum superioribus certas pecuniarum summas manualiter pro indigentibus monasterii dederunt, pacto adjecto, vel etiam tacita conventionem adhibita, ut monasterium, seu abbatissa certos redditus ad rationem tot pro centenario earum vita durante concedat. Quæritur an moniales prædictæ in huiusmodi casibus incurrant in pœnas per concil. Tridentinum sess. 25, cap. 2, *De regular.*, in proprietariis inflictas, etiamsi de licentia abbatissæ, et ad abbatissæ nutum, vel conventus, seu monasterii nomine percipiant; sacra congregatio censuit in nullo supradictorum casuum licere moniales dictos fructus, seu redditus percipere; et si perceperint, incidere in pœnas dict. cap. 2, sess. 25, *De regul.* Neque

ab huiusmodi pœnis excusari ob licentiam abbatissæ, quæ eam d. concilii decreto in supradictis casibus concedere quidem prohibetur, sed debet ex suo munere ex monasterii redditibus, vel eleemosynis monialium necessitatibus in dies subvenire. Ex quibus declarationibus apparet non esse amplius locum opinioni Joann. Andr. in Regul. Non est obligatorium, Calder. concil. 2, De regul. et abbat. cons. 88, p. 1, existimantium licere professo de licentia superioris prælati accipere aliquam annualem provisionem a conventu, vel a provincia, puta scutorum decem, ut exemplificat Joann. Andr. vel quinquaginta, ut inquit Calder. et Abb. persolvendam pro vestibus, et aliis personalibus necessitatibus.» Sic in terminis Fagnanus.

(94. Insuper attente notandum est quod ipsemet Fagnanus pleno jure undequaque instructus loc. cit., sub n. 75 et 76, concludit, ibi: « Concludendum est igitur nemini prorsus regularium, tam virorum quam mulierum, cujuscunque qualitatis et conditionis existat, nisi sit officialis, fas esse, etiam nomine conventus, habere annuos redditus, seu provisiones annuas, vel bonorum stabilium administrationem, aut peculium, etiamsi illud non sit superfluum, sed ad necessarios, honestos et pios usus, a superiore ex quacunque causa concessum, et dependenter ab ejus voluntate, et nutu, nec quemquam excusari a lethali culpa, et pœna proprietariis inflicta ex quavis consuetudine monasterii, vel religionis, aut ex varietate seu probabilitate opinionum, aut alio quovis prætextu, vel causa. Et religiosis tam prælatiis, quam subditis cavendum esse ab huiusmodi palliamentis, quia Deus non irridetur, ad Galat. cap. vi, » cap. *Erubescant*, dist. 32, cap. *Humane* 22, q. 5, cap. *Tua nos*, De simon., et cap. *In civitate*, De usur. Et eo magis, quia sac. congregatio consulta auliceat regularibus interpretari decretum, c. 2, sess. 25, *De regul.* respondit: *Non licere*. Ad dubium, ut supra conceptum num. 4, sacra congregatio respondit: *Negative*, videlicet in nullo ex superscriptis casibus licere regularibus utriusque sexus habere prædictos annuos redditus, seu provisiones annuas, vel bonorum stabilium administrationem, seu peculium non superfluum nomine conventus, ac de suorum superiorum licentia, et dependenter ab eorum voluntate, ac nutu, alioquin non esse immunes a culpa, et pœna, de qua in dict. cap. 2, sess. 25, *De regul.*

(95. Legatum relictum monasterio, seu conventui bonorum incapaci, pro sacristia, valetudinario, vel ecclesiæ, pro cera, et oleo, non dicitur irritum, sed debet per syndicum investiri pro adimplenda testatoris voluntate, ut decrevit sacra congregatio Episcoporum et Regul. in Forosempronien. 21 Augusti 1693. Imo si gravetur hæres, illud subministrare tenetur. Sacra congreg. Concilii in Faventina 2 Martii 1697, apud Monacell. part. II, tit. 4, formul. 1, n. 17.

(96. Unde legatum relictum minoribus de Observantia, Reformatis, et Capuccinis pro

universariis, oleo, lampadibus, paramentis, hostiis, sacristia, ecclesia, fabrica, luminaribus, sindonibus, linteis, tunicis, bibliotheca, impressione librorum, pane, vino, pitantia, seu pro victu, et vestitu, et aliis necessariis, est ipsis tradendum, seu solvendum ab hæredibus, ut adductis plurimis decretis et decisionibus ad longum probat et demonstrat Petrus Marcellinus de Luccia J. U. D. et in S. theologia professor, ac in Romana curia causarum patronus, in sua dissertatione unica, in qua agitur de obligatione indispensabili hæredum satisfaciendi legata quomodocunque relicta supradictis Fratribus Minoribus ad formam decreti Rev. Fabricæ 14 februarii 1635, auctoritate Apostolica confirmati, quod ut ab omnibus in promptu semper habeatur, hic ad litteram datur cum aliis decretis et declarationibus circa id ex emanatis.

(97. Adducitur igitur decretum Rev. Fabricæ, et juxta illius dispositionem ponitur in claris, supradictos Minores Mendicantes S. P. Francisci esse capaces legatorum juxta modum in eodem decreto præscriptum.

Decretum sac. congreg. Fabricæ Principis Apostolorum de Urbe super legatis Minoribus de Observantia S. Francisci:

Cum sæpius fuerit habitus recursus ad sac. congregationem Ven. Fabricæ S. Petri super annuis legatis factis, seu faciendis ad favorem Fratrum sancti Francisci Minorum de Observantia, cum onere missarum seu officiorum, sive gratis, sive alio modo. Prætendente Ven. Fabrica S. Petri ad illam spectantiam propter dd. Fratrum incapacitatem huiusmodi legatorum.

Dictis autem Fratribus allegantibus posse annua legata huiusmodi recipere tuta conscientia, quatenus hæres ex sua libera voluntate voluerit illa dare in eleemosynam, et committere Fratribus dd. missas et officia, juxta sententiam S. Bonaventuræ et decreta sac. congregat. a S. D. N. Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismondanæ Familiæ consultationibus præpositæ sub die 4 Junii 1628, publicata.

Eadem sacra congregatio pro opportuna præmissorum provisione, facta prius relatione S. D. N. Urbano Papæ VIII, ac de illius expresso ordine et mandato decrevit in futurum super huiusmodi legatis observari, ut infra.

Quod huiusmodi legata per debitores, vel hæredes non extinguantur, vel reducantur per compositionem cum ministris fabricæ faciendam, vel alio quovis modo; sed illorum capitale, sive sors principalis, vel proprietas absque aliqua diminutione conservetur semper, et perpetuo ad effectum, ut in usus Romano Pontifici pro tempore existenti bene visos possint applicari: ita tamen, ut, quandiu applicationem specialem auctoritate Apostolica fieri non contigerit, hæredes, vel debitores possint libere, si velint, dictis Fratribus dare dicta annua legata per eosdem Fratres recipienda in eleemosynam, non autem per eos exigenda. Et quod quævis extinctio, reductio seu diminutio capi-

talis seu proprietatis aliter absque speciali Romani Pontificis permissione facta, eo ipso nulla sit, nec debitoribus aut aliis quibuscunque suffragetur.

Quodque commissarii, alique ministri Ven. Fabricæ super huiusmodi capitali seu proprietate supradicta se de cætero non intromittant, nec dictos hæredes seu debitores aliquo modo molestant, nisi ad effectum reinvestiendi in casu reinvestmenti, seu providendi, ut conservetur, ut supra, aut alias in executionem applicationis auctoritate Apostolica fact. vel facien.

Et quod nolentibus dd. hæredibus vel debitoribus dare supradictis Fratribus dd. eleemosynas, seu annuas præstationes, sive legata, ut supra,olvere, vel illas, seu illa non solventibus, tunc et eo casu, lapsis duobus annis a die obitus testatorum, si fuerit maturatum legatum, vel a die maturatæ illius solutionis eadem Fabrica, et illius commissarii, et ministri id totum, quod solum non fuerit pro præterito, pro rata tamen, in qua fuerit ut supra elapsum biennium vel ultra, possit et valeat annuas præstationes huiusmodi exigere, exigique facere ad sui beneficium juxta suas facultates et privilegia: salvo semper capitali seu proprietate, ut supra ad effectum, quod hæredes vel debitores (dummodo de eis per Romanum Pontificem pro tempore existentem aliter non fuerit dispositum, nec prædicta legata in alios usus ejus auctoritate applicata fuerint, vel applicari contigerit) possint, si velint quomodocunque futuris temporibus, et sic deinceps in perpetuum dare dictis Fratribus dicta annua legata in eleemosynam, ut supra, nec Fabrica eosdem hæredes vel debitores molestare possit, et valeat toties, et quoties casus contigerit, nisi pro præterito et tunc in illis terminis tantum, post quorum maturationem fuerit elapsum biennium vel ultra, ut supra, salva semper erectione beneficiorum, et applicatione legatorum, seu quorumcunque bonorum, et reddituum ac jurium eisdem beneficiis, seu aliis usibus piis auctoritate Apostolica facta, vel in posterum quomodocunque facienda, et executione litterarum Apostolicarum desuper expeditarum seu expediendarum; ita ut præfata decreta ad illas nequaquam se extendant, sed illæ semper firmæ et illæsæ remaneant, ac suos plenarios et integros effectus sortiri debeant, ita quod neque Fabrica, neque hæredes vel debitores præfati ullo modo illas impedire, retractare, vel controvertere valeant, et salvis semper Sedis apostolicæ auctoritate ac facultatibus competentibus dictæ sacre congregat. Ven. Fabricæ.

Prohibuit tamen eadem sac. congreg. Fratribus supradictis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne audeant seu præsumant, nec quilibet eorum audeat seu præsumat per se, nec per alios, syndicos, ministros, seu procuratores, tam sæculares quam regulares dictas annuas præstationes seu legata, nec judicialiter, tam coram quocunque iudice ecclesiastico quam

sæculari ordinario, vel delegato, nec alias, nisi juxta formam dicti decreti congregationis Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanæ Familiæ a Sanctissimo D. N. deputatæ ab hæredibus, seu quibusvis aliis eorum debitoribus petere, minusve dd. hæredibus seu debitoribus facere aliquas receptas pro dd. annuis præstationibus, nisi pro rata, et pecunia, seu elemosynis supradictis cum effectu, ac vere et realiter eisdem Fratribus data, vel soluta, seu datis, vel solutis, nec sub alia data, nisi sub ea, qua vere fuerit iisdem Fratribus, aut aliis pro eis facta realis satisfactio, et insuper, ne provisor Apostolicus pro tempore de beneficiis, quibus legata supradicta fuerint applicata, vel eorum procuratores, et ministros super exactione dd. legatorum directe vel indirecte impedire, vel molestare quovis quaesito colore, vel prætextu audeant vel præsumant. In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex Collegio ejusdem Sac. Congregat. die 14 Febr. 1633.

DOMIN. CARD.

(98. Verba congregationis particularis ab Urban. VIII Fratrum Minorum de Observantia Cismontanæ Familiæ consultationibus præpositæ in decisionibus præcedentibus allegatæ :

« Sacra Congregatio, etc. Sed quia in his casibus solet aliquando evenire quod annuus redditus ob temporis antiquitatem non comperiat habere aliquem Patronum, cui fieri debeat talis, ut supra, protestatio, discernimus quod in tali casu servetur statutum Ordinis Minorum sub Paulo II (Julio II) super cap. 6 Regulæ § Inhibemus, quod nimirum hujusmodi redditus assignentur rectoribus spiritualibus et temporalibus collegiorum, aut communitatum, terrarum, aut civitatum, qui tales elemosynas sive fructus, vel redditus annuos nomine Ecclesiæ Romanæ, vel donantium sine Fratribus exigant, et recipiant, et a Fratribus, sive aliis sacerdotibus, quando Fratres noluerint, tales missas, vel suffragia juxta piam intentionem benefactorum in toto vel in parte secundum quantitatem talium observationum, dici faciant. »

(99. Decretum sac. congreg. Fabricæ S. Petri circa legata relicta Minoribus de Observantia in locis, in quibus Ven. Fabrica locum habet, promulgatum sub die 14 Febr. 1633:

« Cum sæpius, etc., eadem sacra congregatio censuit pro opportuna prædictorum provisione, facta prius relatione Sanctissimo Domino Nostro Papæ Urbano VIII, ac de illius expresso ordine et mandato decrevit in futurum super hujusmodi legatis observari, ut infra. Quod hujusmodi legata per debitores vel hæredes non extinguantur, vel reducantur per compositionem cum ministris Fabricæ faciendam, vel alio quovis modo; sed illorum capitale, sive sors principalis, vel proprietas absque aliqua diminutione conservetur semper et perpetuo ad effectum, ut in usus Romano Pontifici pro

tempore existenti benevisis possint applicari. Ita tamen, ut, quandiu applicationem specialem auctoritate Apostolica fieri non contigerit, hæredes vel debitores possint libere, si velint, dictis Fratribus dare annua legata per eosdem Fratres recipienda in elemosynam, non autem per eos exigenda. »

« Quodque commissarii, alique ministri Ven. Fabricæ super hujusmodi capitale seu proprietate supradicta, se de cætero non intromittant, nec dictos hæredes seu debitores aliquo modo molestant, » etc.

« Et quod nolentibus dd. hæredibus, vel debitoribus dare supradictis Fratribus dictas elemosynas, seu annuas præstationes, sive legata ut supra solvere, vel illas, seu illa non solventibus, tunc, et eo casu lapsis duobus annis a die obitus testatorum, si fuerit maturatum legatum, vel a die maturatæ illius solutionis, eadem Fabrica, et illius commissarii et ministri id totum, quod solutum non fuerit pro præterito, pro rata tamen in qua fuerit, ut supra elapsum biennium vel ultra, possit et valeat annuas præstationes hujusmodi exigere, exigique facere ad sui beneficium juxta suas facultates, et privilegia, salva semper proprietate, seu capitali, ut supra, ad effectum quod hæredes vel debitores, etc., possint, si velint, etiam quocumque futuris temporibus, et sic deinceps in perpetuum dare dd. Fratribus dicta annua legata in elemosynam, » etc. Et inferius præservatur Decretum Congregat. particularis sub Urbano VIII superius relatum sequentibus verbis: « Prohibuit tamen eadem Sacra Congregatio Fratribus supradictis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ne audeant seu præsumant, nec quilibet eorum audeat seu præsumat per se, vel per alios syndicos, ministros, seu procuratores, tam sæculares quam regulares dictas annuas præstationes, legata, nec judicialiter tam coram quocumque iudice ecclesiastico, quam sæculari ordinario, vel delegato, nec alias nisi juxta formam dicti decreti congregat. Fratrum Minorum de Observantia Sancti Francisci Cismontanæ Familiæ a Sanctiss. D. N. deputatæ ab hæredibus seu debitoribus petere, minusve dd. hæredibus seu debitoribus facere aliquas receptas pro rata et pecunia, seu elemosynis supradictis cum effectu, ac vere et realiter eisdem Fratribus data, vel soluta, seu datis, vel solutis, nec sub alia data, nisi sub ea qua vere fuerit iisdem Fratribus, aut aliis pro eis facta realis satisfactio. »

(100. Decretum ejusdem sac. congregationis Fabricæ ad providendum indemnitati Fratrum in annuis legatis, et occurrendum hæredum vel executorum malitiæ, editum die 15 Decembris 1646.

« Sacra congregatio generalis Rev. Fabricæ S. Petri de Urbe ad consulendum non minus indemnitati Fratrum Ordinis Minorum de Observantia Sancti Francisci, quam providendum malitiæ hæredum, et aliorum quomodolibet obligatorum, qui differunt ultra biennium illis solvere annua legata

per cum oneribus missarum seu officiorum, vel etiam gratis dictis Fratribus, seu eorum ecclesiis relicta, ac in futurum relinquenda sub spe postea super illis pro minori summa se componendi eam commissariis, et aliis Rev. Fabricæ ministris; et officialibus, prohibuit, et expresse mandavit commissariis, æconomis, et secretariis, et aliis quibuscumque officialibus, et ministris Reverendæ Fabricæ presentibus et futuris, et tam Urbis, et status Ecclesiastici, quam regni Neapolis, et aliorum quorumcumque locorum sub pœnis arbitrio ejusdem sacre congregationis, ne de cætero cum hæredibus, vel aliis quomodolibet obligatis ad solutionem dictorum legatorum ad aliquam compositionem, remissionem, vel transactionem deveniant, sed ab illis omnes annatas supra biennium decursas, et non solutas integraliter exigant, et exigere faciant in beneficium dictæ Reverendæ Fabricæ sine relaxatione alicujus minimæ portionis seu quantitatis, servato in reliquis tenore decreti in hac materia ab eadem sac. congreg. editi sub die 14 Febr. 1733, et compositiones, etc., eo ipso nullas et irritas esse decrevit, mandans, » etc.

(101. Et capacitatem Fratrum Minorum obtinendi annua et perpetua Legata per modum simplicis elemosynæ expresse comprobatur Breve Urbani VIII, incipiens *Exponi Nobis*, emanat. 27 Julii 1637, favore Minorum de Observantia, ubi expresse approbatur, et auctoritate Apostolica confirmatur declaratio facta a patre Didaco de Cea in Romana Curia pro Ultramontana Familia commissario Generali in hæc verba in tali brevi inserta § *Insuper*, ibi: « Insuper ad serenandas Fratrum conscientias, etc. Declaramus, etc. dictos conventus, Fratresque Minores respective licite, valide, tuta et salva conscientia, tenere posse annua et perpetua legata, vel certos alios redditus, aut proventus annuos, et perpetuos præfatæ puritati nostræ Regulæ consentaneos per modum elemosynæ, » etc., in quo Brevis multa alia ad rem continentur, unde ut ab omnibus præ oculis habeatur, hic ad litteram datur, prout registratur a Pitonio discept. 2, n. 62, et a dicto de Luccia l. c., pag. 146, n. 387.

Breve S. M. Urbani VIII, editum post decreta prædicta, quæ ad tenorem ejusdem Brevis posterius editi intelligenda veniunt.

URBANUS OCTAVUS

AD FUTURAM DEI MEMORIAM.

(102. Exponi Nobis fecit dilectus filius Elias Petiot doctor theolog. Parisiensis Fratrum ordinis Minorum S. Francisci Regularis Observantæ Turoniæ minister provincialis cum omnibus Superioribus et subditis ejusdem provinciæ, quod ipsi a dilecto etiam filio Didaco de Cea ordinis eorundem Minorum lectore jubilato almæ Angelorum provinciæ, et ordinis Patre, ac in Romana Curia pro Ultramontana Familia commissario generali, et de mandato et auctoritate dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Da-

maso diaconi cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. vicecancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, dictique ordinis apud nos, et sedem Apostolicam protectoris; in præfatæ provinciæ specialem commissarium, pro alienandis bonis immobilibus, si quæ fuerint extra conventum dictæ provinciæ septa, ac alias sub certis modo, ac forma ibi expressis, constitutus et deputatus fuit, prout in dicti Didaci commissarii generalis hujusmodi desuper confectis patentibus litteris tenoris subsequentis, videlicet:

Frater Didacus de Cea ord. Minorum Regularis Observantæ lector jubilatus almæ Angelorum provinciæ, et ordinis Pater, ac in Romana Curia pro universa Familia Ultramontana commissarius generalis et servus, dilecto Nobis in Christo R. P. F. Eliæ Petiot ejusdem ordinis et instituti, provinciæ vero Turoniæ provinciali ministro, ac doctore theologo Parisiensi salutem, et pacem in Domino sempiternam. Cum Eminentiss. D. card. Francisco Barberino S. R. E. Vicecancellario, necnon totius nostræ Seraphicæ Religionis vigilantissimo Protectori, Collectori, et Governatori, exponi feceris una cum omnibus et singulis ejusdem Provinciæ Superioribus et subditis, quod dicta Provincia, quondam Conventualium zelo suæ professionis ducta, et devotis accensa desideriis, olim quidem Regulæ suæ observantiam amplexa fuerit, et formam vivendi, et disciplinæ Patrum Observantæ acceptaverit, nuper vero a S. D. N. Urbano VIII, in Litteris suis Apostolicis tuo datis hic Romæ 13 Junii præsentis anni declarata fuerit, et de novo incorporata Regulari observantia cum omnibus privilegiis, juribus, exemptionibus et immunitatibus, quibus d. Provincia, cum Provinciis Franciæ S. Bonaventuræ, et Conventus Parisiensis ab antiquo gaudere consueverunt.

Propterea ad feliciter dictæ Provinciæ et Fratrum conscientias serenandas, et Sanctæ Regulæ nostræ Seraphicæ nitorem, et observantiam restituendam supplicaveris, quatenus concedamus tibi licentiam, ut cum consilio Syndicorum Conventuum respective possessiones, prata et alia immobilia (si quæ fuerint extra Conventum septa) sic vel alienes, vel disponas, prout melius regimen dictæ Provinciæ et Conventuum utilitas postulaverit; quia autem dicta alienatio et dispositio non potest executioni mandari absque singulari ejusdem Eminentissimi Protectoris mandato, et modo ab illo assignando, quo debite et congrue omnia, si quæ intervenerint impedimenta, tollantur, et quatenus dicta hujusmodi alienatio vel dispositio suum tandem integrum et plenarium sortiatur effectum; hinc est quod auctoritate ejusdem Eminentiss. Protectoris Nobis in hac parte specialiter commissa, præsentium tenore et vigore, te, qui de Religionis zelo, morum integritate, et prudentiæ claritate plurimum in Domino commendaris, ejusdem dictæ tuæ Provinciæ specialem Commissarium nominamus, et insti-

tuimus omni meliori modo quo possumus, et opus fuerit, etiam cum plenitudine potestatis, agendi, sollicitandi et procurandi pro te, vel per alium, seu alios dictæ Provinciæ benemeritos Patres, a te deputandum, vel deputandos, ad cujus vel quorum nominationem, et ad facultatem eligendi, specialem licentiam et auctoritatem concedimus, quatenus dictæ possessiones, prata et alia immobilia, si quæ fuerint extra Conventum septa, intra unum annum, vel ad summum duos a debita præsentium notitia computandum, sic vel alienentur, vel disponantur, ut dictæ Provinciæ felicius regimen et Religionis decor postulerint.

Et propterea eadem auctoritate Eminentiss. Protectoris et eorumdem serie nostrarum prædictos Syndicos Conventuum respective tanquam generales per Sanctiones Pontificias Procuratores, et Oeconomos Apostolicos, hortamur in Domino, et quantum in Nobis est, injungimus et mandamus, quatenus dictam alienationem, seu dispositionem, consilio et auxilio suo promoveant, ut scilicet fiat secundum requisitas juris solemnitates, et debitum Seraphicæ nostræ institutionis modum, scilicet dictorum bonorum dominium, possessionem, et in proprietatem in perpetuum abdicando, et ad quos de consilio Fratrum ejusque Conventus melius secundum Deum, et fructuosius secundum licitam utilitatem Conventuum videbitur expedire, transmittendo et alienando.

Insuper ad serenandas Fratrum conscientias, eadem auctoritate Eminentiss. facultatem tibi concedimus, quatenus Fratribus et Conventibus dictæ Provinciæ vice nostra declares: imo Nos nomine, et auctoritate dicti Eminentissimi Protectoris declaramus dictos Conventus, Fratresque Minores respective licite, valide, tuta et salva conscientia, tenere posse annua et perpetua legata, vel certos aliquos redditus, aut proventus annuos, et perpetuos præfatæ puritati nostræ Regulæ consentaneos per modum eleemosynæ, aut (juxta primam et præcipuam S. Patris Francisci vivendi rationem, ejus consilio et exemplo firmatam et roboratam) pretii, seu mercedis vice pro spirituali dictorum Fratrum nostrorum labore recipiendos, nempe pro Missarum solemnium privatarumque sacrificiis, aliisque divinarum officiorum oneribus secundum pias benefactorum, seu vivorum, aut defunctorum intentiones institutis, sive pro fabricis, et reparationibus ecclesiarum nostrarum, sive pro studiis sacræ theologiæ et bonarum disciplinarum, nec non aliis Conventuum utilitatibus, sive pro prædictis omnibus causis, aut aliqua illarum divisim, vel conjunctim, jam diu prædictos redditus, aut proventus fundatos et constitutos, vel fundandos et constituendos super hujusmodi bonis cujuscunque sint naturæ (nunc, et in perpetuum abdicandis, transmittendis et alienandis) juxta prædictos modos licitos, et puritati Regulæ nostræ congruis reservando et retinendo, facta prius ex animo, et optimo corde dictorum reddituum aut proventuum,

simili vel efficaciore protestatione, et renuntiatione a doctore nostro Seraphico P. Bonaventura præscripta atque observata; et quod dicti redditus aut proventus in unoquoque Conventu non sint in tanta copia et excessiva quantitate, ut mendicitatem excludant, aliisque servatis clausulis et circumstantiis, nec non gratis et juribus contentis et expressis in allegatione pro sustinenda validitate foundationis, et perpetuorum Legatorum conventus Victoriæ. Sancti Patris Nostri Francisci Recollectorum in Hispania alias per Nos presentata Eminentiss. dominis cardinalibus Sacræ Congregationis Concilii Tridentini, et ab eis approbata et confirmata per Decreta edita sub datis hic Romæ vigesima Junii, et tertia decima Julii anno Domini 1635.

Ut autem facilius, opportunius et exactus injunctum tibi munus absolvere possis, ejusdem Eminentiss. Protectoris auctoritate, præcipimus omnibus et singulis dictæ Provinciæ Fratribus Superioribus, et subditis in virtute Sanctæ obedientiæ, et sub pena privationis propriorum Officiorum, nec non excommunicationis latæ sententiæ, et etiam prædictis Conventuum Syndicis Apostolicis, ut te, vel alium, seu alios intra prædictum et præfixum tempus velut legitimum, seu legitimos, dictæ Provinciæ Commissarium, seu Commissarios ad prædicta (ut fertur) specialiter et expresse deputatum, vel deputandum, aut deputandos cum omnibus gratis, ac juribus aliis Commissariis concedi solitis recipere, recognoscere et revereri velint et debeant, tibi, aut illi, vel illis in his, quæ nec cultui divino, aut animæ suæ, nec evidenti, et spirituali Conventuum utilitati contraria sunt, prompte et hilariter obtemperaturi; monentes ut, in hujusmodi muteris executione, nihil aliud penitus nisi prædictorum cultus divini augmentum, domorum Domini decorem, studiorum necessitatem, et demum cujuscunque Conventus utilitatem spiritualem nostro Minorum statui, et Regularibus Institutis, dictæque Provinciæ privilegiis nuper confirmatis (ut præfertur) congruentem præ oculis habeas. Vale, Deumque pro Nobis exora. Datum Romæ in Conventu Aracalitano die 10 Julii anno 1637, in quorum fidem manuali nostro Syngrapho et majori officii nostri sigillo præsentibus munivimus.

Cum autem sicut eadem expositio subjungebatur, præfati Exponentes præmissa pro illorum firmiori subsistentia et validitate Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desiderent; Nos dictum Eliam, aliosque præfatos specialibus favoribus, et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis

super hoc humiliter porrectis inclinati, deputationem de persona dicti Eliæ in specialem Commissarium Generalem (ut præfertur) factam, ac desuper confectas præinsertas litteras cum omnibus, et singulis in eis contentis, expressisque Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos tam juris quam facti, quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Mandantes propterea omnibus et singulis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, ut dictum Eliam, aliosque præfatos præinsertarum præsentiumque litterarum nostrarum commodo et effectu pacifice frui, et gaudere sinant, et faciant, nec illos desuper a quoquam quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari permittant, ac decernentes easdem præinsertas patentesque litteras, validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, inviolabiliter observari, dictisque exponentibus plenissime in omnibus, et per omnia suffragari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac prædictorum Ordinis et Provinciæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum omnium tenore præsentium proplene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus: cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima septima Julii 1637, Pontificatus nostri anno decimo quarto.

M. A. MARALDUS.

(103. Et ulterius pro legato relicto pro pitantia fuit semper sensus, S. Congregat. Boni Regiminis Urbis, quæ ultra superius deducta sub die 22 Junii 1625, ita dedit litteras. « Viterbo. Governatore. Mentre per il passato i Frati Minori Osservanti di S. Francesco di Canino siano stati sovvenuti di scudi dieci l'anno per la pietanza, e di altri scudi quindici per il vino da quella Comunità, la Sac. Congregatione si contenta che possa continuarsi la medesima limosina, onde piacerà a V. S. concederle la facoltà opportuna. »

Ac pro vestiario habetur resolutio ejusdem S. Congregationis sub die 12 Novembr. 1661. « Perugia. Governatore. Quæsti Emin. Signori dopo aver veduta l'informazione di V. S. sono stati di parere, che ella proveda,

che li Frati di S. Francesco Minori Osservanti di Nocera, siano soddisfatti nell'annua corrisposta di scudi sette, e baj. 50, che gli sono stati assegnati da quel pubblico sotto titolo di Vestiario; tanto eseguisca, e Dio la prosperi. »

(104. Imo pro Carne assignata Mendicantibus a Communitate, illamque posse a lanione illius licite exigere, habemus casum decimum per doctissimum et vigilantissimum Opit. Cerrum A. C. locumtenentem in causa Sabinen. præstationis carnis inter RR. PP. de Observantia B. M. Virginis de Lilio, et Josephum Gentilem sustinentem jura Communitatis Malleani cum mandato de exsequendo judicatum de Fratibus favore RR. PP. relaxato, et cum sententia emanata sub die 24 Martii 1708, per acta Babucci Notarii A. C.

(105. Ac S. Congregationis concilii, quæ ita invariata pro observatione præfati decreti Rev. Fabricæ circa legata pro pitantia relicta mandavit, et in specie in Esina legati 4 Maii 1697, ejus resolutio magistralis hæc est:

Balthassar de Calvanis anno 1639, instituta hærede usufructuaria Pieria uxore, gravavit tam ipsam quam hæredes proprietarios ad tradendum in perpetuum PP. Capuccinis eleemosynam Juliorum septem singulis hebdomadis pro duobus ferculis, seu pitantiis, injuncto onere eidem Pieriæ faciendi intra certum tempus investmentum æquivalens annuæ satisfactioni prædicti legati per hæc verba: « Lascia la medesima Signora Pieria mentre sarà viva, e gli infrascritti eredi, e successori in infinito siano obbligati, si come esso testatore espressamente comanda, di fare due volte la settimana l'elemosina alli Cappuccini di Jesi di Giulii tre, e mezzo per ciascheduna volta di carne o Pesce, e che per detto effetto pagati li scudi 100 di legato fatto di sopra per l'Altare di S. Giuseppe dalla Signora Pieria sua consorte tra lo spazio di quattro, o cinque anni, o quanto prima si possa, si ponga a frutto quella quantità di denaro, che sarà bastante per lo stabilimento perpetuo delle dette elemosine delle due pietanze la settimana per li detti PP. e che sino a detto cumulo, o stabilimento la signora Pieria si compiaccia siccome esso testatore la grava di tener comunicati li frutti della sua dote, e contradote, pregando il medesimo sig. testatore li detti PP. Cappuccini per la detta carità di pregare nelle loro orazioni per l'anima d'esso, e de'suoi antenati morti, » etc.

Neglexerunt tam Pieria quam primi hæredes nedum primum investmentum, verum etiam traditionem supradictæ eleemosynæ per plures annos. Quare Nicolaus et Theodorus de Calvanis hæredes mediati condemnati fuerunt a Rev. Fabrica per viam compositionis ad solutionem scutorum 300, pro eleemosynis decursis et non solutis.

Modo autem volentes iidem hæredes executioni demandare præfati testatoris voluntatem quod investmentum capitalis prædicti oneris eo sub fundamento, quod ubi ad